

**Collectanea quaedam de strangulationibus intestinorum internis adiecta nova intestini coli contorti summeque dilatati observatione : dissertatio inauguralis medica ... / publice defendet auctor Frid. Eduardus de Seckendorff.**

### **Contributors**

Seckendorff, Friedrich Eduard von, 1797-  
Royal College of Surgeons of England

### **Publication/Creation**

Lipsiae : Literis Adolphi Deutrich, [1825]

### **Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/bdcbcavu>

### **Provider**

Royal College of Surgeons

### **License and attribution**

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

25

COLLECTANEA QVAEDAM  
DE  
**STRANGVLATIONIBVS**  
INTESTINORVM INTERNIS  
ADIECTA NOVA INTESTINI COLI CONTORTI SVMMEQVE  
DILATATI OBSERVATIONE.

---

DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA  
QVAM

GRATIOSI MEDICORUM LIPSIENSIVM ORDINIS  
AVCTORITATE

PRAESIDE

VIRO EXCELLENTISSIMO ET EXPERIENTISSIMO  
**CHRISTIANO GOTTHOLD ESCHENBACH**

PHILOSOPHIAE, MEDICINAE ET CHIRVRGIAE DOCTORE, CHEMIAE P. P. O. ORDINIS  
MEDICORVM SENIORE, CONCILII PROFESSORVM ASSESSORE ETC.

PRO SVMMIS

IN ARTE MEDICA ET CHIRVRGICA HONORIBVS

LEGITIME OBTINENDIS

DIE XI. FEBRVAR. MENSIS A. R. S. MDCCCXXV

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS INDVLTV

IN AVDITORIO IVRIDICO

HORIS CONSVETIS

PVBlice DEFENDET

AVCTOR

**FRID. EDVARDVS DE SECKENDORFF**

MEDICINAE BACCALAVREVS.

---

*ACCED. TABVL. LITHOGRAPH. III.*

---

LIPSIAE

LITERIS ADOLPHI DE VTRICH.



Si quid desit operi, id suppleat aetas, et si qua sint dicta iuveniliter,  
pro indole accipiantur.

QVINCTILIANVS.



VIRO GENEROSISSIMO

GEORGIO HARTMANN O  
DE WITZLEBEN

REGIS BORVSSORVM REGIMIN. A CONSILIIIS INTERIORIBVS, RERVVM METALLICARVM PRO  
PRAEFECTO, SCHOLAE MONASTER. ROSSLEBENSIS ADMINISTRATORI GENTILITIO,  
ACADEMIAE FRIDERICIANAE VITEB. HAL. CVRATORI

AVVNCVLO, FAVTORI AC PATRONO

AD CINERES VSQVE VENERANDO

PIETATIS PRO INNVMERIS IN IPSVM COLLATIS BENEFICIIS  
SVMMAE TESSERAM

ET







V I R O

ILLVSTRI, EXCELLENTISSIMO, EXPERIENTISSIMO,  
AMPLISSIMO, DOCTISSIMO

JOANNI CHRISTIANO AVGVSTO  
CLARO

POTENTISSIMO REGI SAXONIAE A CONSILIIS AVLAE, ORDINIS SAXONVM VIRTVTIS  
CIVICAE ET ROSSICI A ST. WOLODOMIRIO COGNOMINATI EQVITI, PHILOSOPHIAE ET  
MEDICINAE DOCTORI, CLINICES P. P. O. DESIGNATO, FACVLTATIS MEDICAE LIPSIENSIS  
ASSESSORI EXTRAORDINARIO, INSTITVTI CLINICI REGII MEDICO PRIMARIO, VNIVER-  
SITATIS LITTERARVM ET PRAEFECTVRAE LIPSIENSIS, VRBISQVE MEDICO PVBLICO,  
COLLEGII MINORIS PRINCIPVM SODALI, SOCIET. OECONOMIC. ET NAT.  
SCRVTAT. LIPSIENSIS ATQVE OSTERLANDIAE SOCIO ETC.

FAVTORI AC PRAECEPTORI

SVMMOPERE COLENDO

PII GRATIQVE ANIMI TESTIFICANDI GRATIA

HVNC LIBELLVM SACRVM ESSE VOLVIT

OBSERVANTISSIMVS AVCTOR.







P A T R I S B E A T I

M A N I B V S

P I E T A S F I L I I







---

## P R A E F A T I O.

---

**M**ultum diuque quaesivi, quodnam ad concipiendam dissertationem inauguralem, quae summorum honorum in medicina et chirurgia rite capessendorum causa ex more institutisque maiorum mihi erat elaboranda, eligerem argumentum, quod et viribus meis esset accommodatum, et simul praeberet adversariis humanissimis materiam, super qua mecum disputationem possent instituere. Primum quidem adverteram animum ad obstetriciam artem, ex eaque desumere constitueram libelli scribendi argumentum; quum autem mihi contigisset esse tam felici, ut in instituto regio clinico, cui ill. CLARUS summa cum laude praeest, morbi gravissimi, illiusque memoratu dignissimi casum observarem, mutato quod ceperam, consilio, de hac aegritudine ad lectores referre mihi proposui. Atque hoc equidem tanto feci libentius, quanto magis hic casus dignus est, qui artis peritis cognitus fiat, et quanto aptiorem mihi suppeditat occasionem, gratissimum meum animum erga clinicum nostrum institutum, eiusque clarissimum administratorem, publice declarandi.

Bene quidem sentio, quam manca sint, quae hic exhibeo, opto tamen piis votis, velitis vos, L. B. expectare, quae sine dubio multo praestantiora de hac re ipse CEL. CLARUS, qui hoc argumentum ad conscribendam dissertationem mecum communicavit, quondam in publicum proferre promisit, et tunc demum diiudicare, an opus meum sine ullo merito et fructu sit.

A me editum libellum esse magis experiētiis atque observationibus virorum doctorum, quam placitis iudiciisque, quae ipse addidi, or-



natum lubentissime fateor. At enim scio etiam, multas me observationes collegisse memoratu certe non indignas et nusquam antehac collectas, item doctorum virorum libros omni, qua par est, sedulitate me pervolvisse, ut plura nostri morbi exempla et observationes possem adferre, quam mihi ipsi in aegrotis huius generis instituere licuit, simulque descriptionem pro viribus accurate conceptam adiecisse, nec non delineationibus, quas ipse secundum naturam elaboravi, rem, ut arbitror, satis illustrasse. Fortassis hoc me meritum manet, collecta primum me in ordinem idoneum redegissem, viamque demonstrasse, qua progrediendum sit, si mechanicas morbi ilei causas, de quibus potissimum egi, accurate cognoscere, et a se invicem discernere velimus. Atque ad hunc finem pervenire studui, et habeo, de quo mihi gratuler, si lectores invenerint, me saltem aliquo modo eum esse assecutum.

Restat, ut primum ILL. CLARO gratias agam, quas possum, maximas, quod veniam tam liberaliter mihi concessit, hanc observationem in instituto regio clinico factam publice edendi; deinde etiam EXP. CERUTTO me sentio valde obstrictum, quod mihi hanc dissertationem elaboranti casum quendam huc spectantem tradidit, mihiq; potestatem eius cum lectoribus communicandi humaniter fecit.

Locos auctorum quorundam, qui de similibus observationibus retulerunt, afferre necessarium duxi, quum rei, quam pertractare studui, illustrandae admodum accommodati mihi visi sint. Ceterum vix quidquam est ab omni parte absolutum, aut vituperio quovis vacat. Quare dissertationem meam Tibi L. B. Tuaeque iudulgentiae atque benevolentiae trado, adiectis precibus, velis animo Tuo aequo me opusque meum Tibi habere de meliori commendatum.



---

§. I.

*Morbi historia cum sectione cadaveris.*

---

GERHARDUS RUDOLPHUS SCHMIDT, viginti tres annos natus, infantilibus morbis feliciter superatis, anno aetatis sexto ex caussa ipsi ignota hernia inguinali sinistri lateris afficiebatur, quam postea, adultior factus, bracherio rudi et admodum inepto reponere et in abdomine retinere studuit. Saepius, et quidem sine manifesta caussa, obstructione alvi pertinaci, eaque aliquoties cum vomitu iuncta, laboravit, quae tamen eum non impedivit, quo minus negotiis suis (erat autem faber ferrarius) fungeretur et itinera pedestria et maritima susciperet. Die XXVIII Martii mensis anni praeteriti, postquam tuberum solanorum magnam copiam comederat, iterum talis obstructio accessit et, quum ei solito diuturnior vomitus sese iunxisset atque venaesectio instituta nihil profuisset, die septimo Aprilis mensis, aut decimo morbi die, ad nosocomium Lipsiense se recepit.

Examine instituto hernia non prolapsa, et annulus abdominalis mediocriter tantum dilatatus, inveniebatur, dolor circa regionem affectam nullus, atque in reliquo etiam abdomine exiguus tantum deprehendebatur ita, ut manu illa contrectari et comprimi sine doloris incremento posset. Praeterea borborygmi



et ructus aderant, odor ex ore foetidus prodibat, et lingua, bilioso quasi colore infecta, mucro spisso contaminata conspiciebatur. Pulsus non febrilis, sed paulo contractus et cutis frigida erat.

Quae quum ita essent, signaque incarcerationis internae aut alius impedimenti mechanici certa deficerent et malum, quo aegrotus iam saepius laboraverat; usque ad decimum iam diem non increvisset, iudicatum est, praeter dislocationem intestinorum et dispositionem ad volvulum et intussusceptionem, causam obstructionis imprimis in spastica constrictione esse quaerendam, quare sequens medendi methodus instituebatur; praemisso pulvere ex tribus granis Moschi orientalis immittebatur aegrotus in balneum calidum, in quo remansit per horam integram. Deinde inunctio facta est ex Oleo Amygdalarum dulc. cum Opio mixto, simulque quavis hora administrata emulsio ex gutt.  $j\beta$  Olei Crotonis et s. q. aquae dest. simpl. atque quarta quaque hora iniectum Clyisma ex Hb. Nicotianae.

Postero die, quum incassum adhibita esset haec methodus, et symptomatum ratio indicare videretur, non inflammationem, sed solummodo aliquod impedimentum mechanicum, cum spasmo iunctum, alvum occludere, constitutum est, eundem remedium cyclum denuo incipere, simulque, quod impedimentum alvi esse ano propius, quam heri, senserat aegrotus, ad hoc superandum candelam sebaceam in anum immittere. Secutae sunt paulo post aliquot deiectiones fluidae, bruneae cum sevi liquefacti particulis mixtae, simulque flatus aliquoties emissi. Ceterum in ipsa rerum conditione mutatum est nihil, quapropter die IX April., quum vomitus accessisset aeruginosus, abdominisque expansio aucta, item dolor vehementior et pulsus accele-



ratus prope instantem inflammationem indicarent, libra una mercurii vivi in duas doses divisa, est porrecta.

Aegrotus de gravitatis in abdomine sensu aucto postea conquestus est, nihilominus per plures horas in cubiculo obambula-  
vit, sub vesperam vero, agone haud praegresso, nullisque gan-  
graenae aut inflammationis signis supervenientibus, placide ani-  
mam reddidit die decimo April. mens. a. MDCCCXXIV.

Abdomine aperto in conspectum prodiit Colon ex situ suo naturali ita deturbatum, ut transversa eius pars descenderet ver-  
sus regionem *iliacam* dextram, mox autem, facto angustissimo  
angulo, iterum ascenderet versus regionem *hypochondriacam* si-  
nistram, tandemque rursus ad regionem *iliacam* sinistram descen-  
deret. Haec pars Coli, quae in situ naturali flexuram *iliacam*  
constituit, ita dilatata erat, ut diameter eius transversus sex pol-  
lices aequaret; ceterum in regione, ubi Colon in intestinum  
Rectum transit, circa axin illud contortum erat ita, ut ea pars,  
quae sinistra debuisset esse, dextra esset facta, simulque meso-  
colon funis instar convolutum conspiceretur. Hac circum-  
volutione lumen intestini ita interceptum erat, ut neque excre-  
mentis, neque ipsi Mercurio vivo transitus pateret. \*) Pars Coli  
sic expansa lividum habuit colorem. In reliquo intestinorum  
tractu exigua tantum inflammationis signa, exsudationis nulla  
vestigia adparuerunt. Organa abdominis et pectoris reliqua sine  
omni vitio ac morbo fuerunt. \*\*)

\*) Mercurius vivus inveniebatur supra laqueum s. locum contortum, nec quo-  
ad qualitatem alienatus, nec quoad quantitatem imminutus erat.

\*\*) Praeparatum huius abnormitatis memoratu sane dignissimum in theatro ana-  
tomico Lipsiensi conservatur.



## §. II.

*De caussis mechanicis morbum ileum gignentibus.*

Intestina in cavo abdominis corporis humani diversum in modum implicari, convolvi, coarctari et strangulari (s. incarcerari), atque ex eiusmodi caussa functiones tractus intestinalis saepius turbari motumque peristalticum aut plane tolli, aut plus minusve impediri posse, constat. Nascuntur inde dolores colici vehementissimi, qui serius ocius vomitum illum stercorosum horrificumque habent comitem. Hae affectiones autem a medicis peculiariter sub nomine *Ilei* (scil. morbi) seu *Miserere* comprehenduntur, atque hoc nomine utuntur propterea, quod aegroti miserrimi mortem, quam, qui alio morbo laborant, effugere cupiunt, — non solum non timere, sed revera Deum O. M., ut eos per obitum ab ipsorum tormentis liberet (miseris misericordiam tribuat), ardentissimis precibus adire solent.

Iam operae pretium erit, caussas istas *Ilei* mechanicas, ex quibus diversae huius morbi formae derivantur, fusius perscrutari, partim, quod forsitan frequentius occurrunt, quam hucusque creditum est, partim quod medici quoad earum denominationes nondum plane inter se consentiunt. Praeterea etiam diversis huius morbi speciebus observationes memoratu dignissimas addere liceat.

Et caussas quidem *Ilei* morbi mechanicas inter se diversas, quarum iam supra mentionem feci, in quatuor classes dispesco:

- 1) morbus est aut *strangulatio* intestinorum (*Einschnürung*) aut
- 2) *Contorsio* s. *convolutio* circa eorum axin (*Umdrehung und Umwindung*) aut



3) *intussusceptio* s. *volvulus* eorum (*Zeinanderschlebung*) aut denique

4) *strictura* et *obliteratio* tractus intestinalis (*Verengerung und völlige Verschließung*).

Attamen in hoc libello solummodo de strangulatione et contorsione, missis ceteris formis, agam, ne limites Dissertationis transgrediar et opus nimis voluminosum edam.

### §. III.

#### *De strangulatione intestinorum in universum.*

*Strangulatio* intestinorum abdominalium multifarie fieri potest, plerumque autem perficitur

- 1) vel per *habenae membranaceas* et *praeternaturales*;
- 2) vel per *foramina praeternaturalia* et *cavitates sacciformes* abnormesque in omento et mesenterio;
- 3) vel per *processum vermiformem* aut per quosdam *praeter normam genitos processus* seu *appendices* intestinorum;
- 4) vel tandem per intestinorum ipsorum *implicationes* abnormes eorumque inter sese *concreascentias*.

### §. IV.

#### *De Strangulatione intestinorum per habenae praeternaturales.*

*Strangulatio tubi intestinalis per habenae praeternaturales membranaceas* inter omnes frequentissima est. Quae habenae seu fila aut per lymphae plasticae exsudationem, antecedente in-



flammatione, formantur *a*), aut, quod saepius accidit, nascuntur ex omenti mobilissimi cum intestinis concretione, qua fit, ut vel totum omentum, vel solummodo inferior eius pars funis instar contorqueatur, atque hoc modo contortum omentum intestinorum motum liberum impediat, tubumque intestinale ipsum strangulet.

BONETUS *b*), teste BALLONIO, scripsit de viro, qui, per quindecim integros dies obstructione alvina pertinaci laborans, praegressis doloribus vehementissimis stercus per vomitum evacuaverat. Abdomine aperto visum est intestinum rectum sub forma S. romani ter flexum. Constrictum illud insuper erat ab habena aliqua membranacea, quae a processu peritoneaei in scrotum descendente ortum duxerat.

PROCHASKA *c*) intestinum Colon per duo ligamenta ab omento descendencia, quae in quinque diversa capita finiebantur, variis in locis arctissime strangulatum fuisse vidit.

Celeberrimus LOESTENIUS *d*) in theatro anatomico Argentoratensi, quum sectionem cadaveris cuiusdam instituisset, partem intestinorum tenuium a ligamento, ansae haud dissimili, vehementissime strangulatam ideoque gangraenosam factam observa-

---

*a*) Vid. M. Baillie Anatomie des frankh. Baues etc. a. d. Engl. Berl. 1820. pag. 67.

*b*) Sepulcr. anat. Lib. III. Sect. 13. obs. 2. §. 18.

*c*) Annot. acad. Fascic. III. c. 3. obs. 1. cf. Blumenbach medic. Bibl. Bd. 2. pag. 67.

*d*) cf. MEYER Diss. de strangulat. intest. in cavo abdominis. Argentor. 1766 et versionem german. in: Neue Samml. d. auserl. und neuesten Abhandl. f. Wundärzte. St. 16. pag. 152 et 154.



vit. Idem cl. vir intestinorum tenuium quoque partem ab habena abnormi membranacea per inflammationem exorta, quae ante uteri fundum intestinum rectum petierat, ita constrictam vidit, ut *Ileus* exortus esset.

Narrat etiam KLOEKHOFIUS *e)*, se *Ileum* lethalem observasse, qui ex constrictione intestini ilei per habenam membranaceam cum processu vermiformi concretam ortum duxerat.

HEVINUS *f)* habenam similem mesenterio et intestino ileo inhaerentem, quae maiorem intestinorum partem strangulabat, invenit.

Post triduum, per quod duraverat *Ileus*, MAILLEUS *g)* habenam talem ab altera mesenterii superficie intestinum *Ileum*, cui tamen neutiquam adhaeserat, transcendendo ad alteram eius faciem vergentem observavit. In hoc casu intestinum *Ileum* plane constrictum, et superior tubi intestinalis pars valde dilatata, inferior contra collapsa fuit.

FAYEUS *h)* commemorat strangulationem intestini *Ilei* per habenam membranaceam, quae cum processu vermiformi et huic adiacente mesenterii parte erat concreta.

HUCKIUS *i)* tractum intestinorum cum mesenterio unitum invenit, habenamque inde exortam *ileum* intestinum ita cinxisse refert, ut id non solum vehementissime strangulatum, sed etiam eius latus, quod mesenterio oppositum est, dissectum esset.

---

*e)* cf. Samml. auserl. Abh. f. pr. Herzte. Bd. 1. St. 2. S. 184.

*f)* vid. Voigtel Handb. d. pathol. Anat. Bd. 2. S. 564.

*g)* cf. Meckel Handb. d. pathol. Anat. Bd. 2. Abth. 1. S. 476.

*h)* Apud Voigtel l. c. pag. 565.

*i)* Ibidem.



Casus plures, his, de quibus modo retuli, simillimos de strangulationibus intestinorum per habenas membranaceas et praeternaturales descripserunt THEDENUS, DE LA PEYRONIE, RUSCHUS *k*), nec non PANAROLUS *l*). —

MONRO *m*) tradidit observationem omenti cum columna vertebrarum et cum ovariis ambobusque ligamentis uteri latis, in alio autem funere cum vesica urinaria, concreti. Strangulationes inde exortae in utroque hoc casu causam praebuerunt inflammationi, gangraenae et morti.

Praeter hos, quos laudavi, auctores de strangulationibus intestinorum per funes, quos omentum formaverat, scripserunt ARNAUDUS, KLAUNIGUS, SÖMMERINGUS *n*) atque VETTERUS *o*). —

Etiam GARTSHOREUS *p*) concretionem talem extitisse remotiorem causam *Ilei* sex dierum dixit. Filum, quod duos pollices et dimidium explebat, atque intestinum Colon transiverat, lleo intestino adhaeserat et huius visceris partem, pollices duos exaequantem, tantopere strangulaverat, ut non solum, transitu rerum in intestinis contentarum plane sublato, gangraena exorta esset, sed etiam omnes intestini huius tunicae in longitudinem duorum pollicum diffissae invenirentur. Casum memoria itidem dignissimum habent: *Mémoires de l'académie de Chirurgie q*).

*k*) cf. Meckel l. c. pag. 474.

*l*) Apud Meyer l. c. pag. 157.

*m*) Morb. anat. of the gullet etc. pag. 533.

*n*) cf. Voigtel l. c. pag. 566.

*o*) Aphorismen aus d. pathol. Anat. pag. 185.

*p*) Apud Meckel l. c. pag. 475.

*q*) Tom. IV. pag. 237.



— Refertur quippe in his commentariis, „virum quendam per septem ultimos aetatis suae annos, quoties coitum exercuisset, a vehementissimis doloribus colicis cruciatum, denique, quum iterum coivisset, ab iis tanta correptum vehementia fuisse, ut, *Ileo* statim exorto, post horas triginta sex rebus humanis ereptus sit aegrotus. In funere eius, postquam apertum esset abdomen, et quidem in regione, ubi Ileum cum intestino Colo cohaeret, habena membranacea tres pollices longa et fili crassioris instar formata comparuit, quae partim cum mesenterio, partim cum processu vermiformi fuit concreta et partem intestini ilei, unius pedis longitudinem exaequantem vehementerque inflammata incarcerationat.“ —

MECKELIUS *r)* ipse in defunctorum corporibus dissecandis pluries habenas tales membranaceas et praeternaturales a diversis intestinorum partibus exorientes, partim seriori morbi tempore natas, partim ex omento, funiculi in modum contorto, formatas se detexisse narrat, quae facillime strangulationes tales efficere potuissent.

Porro STOLLIUS *s)* eiusmodi vidit habenam ex peritoneo prope umbilicum exeuntem, quae quum ieiunum transiens, in eius vicinia mesenterio adhaesisset, fatalem illum eventum, cuius modo memini, facillime potuisset provocare.

Casus huc pertinentes, quos RAISINIUS et MONFALCONUS *t)* describunt, silentio praetereo, quum exempla, quae recensui, ad illustranda ea, quae proposui, sufficiant.

*r)* l. c. pag. 474.

*s)* Heilungsmethode Bd. 7. S. 100.

*t)* Dict. des sc. méd. T. XXIII. art. Ileus. pag. 566.



Quomodo hae habenae (s. fila) exoriantur, iam supra a me traditum est. Quo autem accuratius distinguere eas a se invicem possint, istas habenas, quae inflammatione praegressa per lymphae plasticae exsudationem formantur, *habenae membranaceae* appello, quod a membranis istis, quas, ut barbarismo utar, *pseudomembranas* vocamus, nullo modo differunt. *Habenae* autem, quae circumvolutione *omenti* funis instar eiusque extensione oriri solent, *epiploicas* nomino. Hae quoque ex inflammatione praegressa plerumque ortum ducunt, et quidem si omentum iam prius cum aliqua parte intestini alicuius concretum, postea in dies magis magisque extensum, nec non vel in unam (saepe longam) habenam, vel in plura (haud raro tenuia) fila contractum sit.

Strangulatio vero duplici modo evenire potest. Vel 1) intestinum iam antea ab habena cinctum erat; accedit nunc vel repentinus vehemensque corporis motus v. gr. saltatio, equitatio, saltus etc., vel intestina faecum, flatuumve plena, (in quo statu post larga et copiosa convivia esse solent,) subito et nimis expanduntur, atque ita utroque modo viscus iam prius ab habena captum, ex situ suo naturali expulsum expansumque saepius celerissime strangulatur. Huc pertinent sine dubio casus aegrotorum, qui, multo ante, quam Illo aut repente aut mox et celerrime quidem orto e vita discesserant, doloribus colicis, obstructionibus etc. diversimode vexati fuerant. Descriptae sunt tales observationes in *Mémoires de l'academie de Chirurgie* ut et in *Museo anatom.-pathol.*, quod auctore CEL. CERUTTO prodit. In quibusdam casibus haud dubie solummodo aegroti regularis vivendi ratio exitum morbi infelicissimum tam diu avertere potuit. —



Vel 2) subito fit strangulatio, etsi intestinum ab habena vel filis nondum fuerat adprehensum, id quod hoc modo plerumque fieri solet. Per motum corporis vehementiorem, ut in saltu, casu vel lapsu pedum involuntario, vel etiam per maiorem intestinorum dilatationem post convivium poculaque copiosa, intestinorum pars strangulari potest, si nimirum ea subito ex situ suo naturali deturbata in laqueum sit deducta, qui forsitan praeterea per longum adhuc tempus innoxius mansisset. Id haud raro observatum est in hominibus perfecte sanis.

#### §. V.

#### *De intestinorum strangulatione per aperturas, aut saccos vel conceptacula, praeter normam genita.*

Intestinorum strangulatio per aperturas praeternaturales vel per saccos aut per receptacula saccis similia in omento atque mesenterio, rarius in universum occurrit, quam ea, quae per habenas membranaceas et filiformes perficitur. Strangulationes istae vulgo *herniae internae* appellantur, earumque sub hoc titulo praecipue mentio apud scriptores est facta. Observationes, quae sequuntur, commemoratione hic dignae esse videntur.

CALLISENUS u) in cavo abdominis intestinorum partem in omenti aperturam ingressam ibique incarceratam deprehendit. Casum similem, in quo pars intestini ilei per aperturam in omento obstrangulata fuit, retulit ARNAUDIUS v). — CHAMBERLON

u) Act. societ. Hafniensis. Vol. I.

v) cf. Voigtel l. c. pag. 566.



DE MONTAUX *w*) in omento aperturam admodum latam (plurimum pollicum) vidit, per quam pars Coli prolapsa fuit, et BAUDELOQUEUS casum annotavit de muliere, hernia umbilicali entero - epiploica laborante, cuius omentum in partu ruptum per aperturam, quae sic exorta erat, partem tubi intestinalis incarceraverat. Etiam SCARPA *x*) observavit apud virum mediae aetatis, qui diu quidem hernia inguinali dextri lateris laboraverat, neque tamen unquam symptomatibus incarcerationis internae intestinorum fuerat vexatus, post eius obitum in omento aperturam callosam, in quam portio quaedam intestinalis tubi erat ingressa.

Ipsa quoque intestina per aperturas praeternaturales in *mesenterio* ortas strangulata haud raro obveniunt.

Ita v. gr. HEUERMANNUS *y*) narrat, se aperturam talem, callo crasso obductam, in mesenterio invenisse, per quam pars intestini Ilei duos pedes longa ex latere dextro versus sinistram prolapsa et incarcerata fuit.

LOYANDUS *z*), quum corporis militis, qui Ileo morbo erat mortuus, sectionem fecisset, herniam internam intestini Ilei invenit exinde exortam, quod pars tractus intestinalis viginti duos pollices longa per mesenterii aperturam praeternaturalem prolapsa vehementerque incarcerata fuerat.

Pariter SANCEROTTEUS *a*) in funere viri, qui per novem

*w*) Krankengeschichten und Leichenöffnungen. S. 258.

*x*) Dict. d. sc. méd. T. XXIII. art. Ileus. pag. 567.

*y*) Abhandl. der vornehmst. chir. Operat. Bd. 1. S. 627.

*z*) Dict. d. sc. méd. art. Ileus. pag. 564.

*a*) ibid. Tom. XXIII. pag. 567.



integros dies ab omnibus Ilei symptomatibus cruciatus erat, aper-  
turam rotundam in mesenterio conspexit, quae intestinum Coe-  
cum cum parte Coli et magna portione intestini Ilei annuli in-  
star constringebat. Hae quidem partes strangulatae gangraena  
tactae comparuerunt.

RUTHERFORDUS *b)* quoque in muliere, enteritide defuncta,  
partem ilei abnormem in mesenterii aperturam ingressam ibique  
incarceratam observavit. — In alio casu, cuius DE HAENUS *c)*  
mentionem fecit, per triennium saepe intumescencia quaedam in  
hypochondrio sinistro feminae cuiusdam per plures hebdomades  
observabatur, quae tamen, flatibus crebrioribus emissis, rursus  
plus minusve disparuit. Haec mulier ita his incommodis vexa-  
batur, ut tandem *Ileus* octo dierum ei mortem adferret. Abdo-  
men huius funeris apertum intestinum ileum ad partem per aper-  
turam praeternaturalem in mesocolo, eamque admodum angu-  
stam, sic ut extremi digiti transire non possent, penetrans prae-  
buit conspiciendum. — Alium casum raro obvenientem, et me-  
moratu propterea dignissimum, descripsit BRAMBILLA *d)*. In imo  
quidem ventre militis ruptura mesocoli dextri inveniebatur, per  
quam pars intestinorum tenuium incarcerata erat. Similis Obser-  
vatio prostat in *Nov. Act. Nat. Curios. Volum. IV. obs. 56.* et  
alia, ubi mesenterium fuerat ruptum, a SWAMMERDAMO *e)* me-

---

*b)* cf. Langenbeck's chir. Bibl. Bd. 1. pag. 839.

*c)* Ratio medendi, Vol. XI. de ileo morbo. pag. 103 sq. — cf. Meyer l. c.  
pag. 156.

*d)* Apud Voigtel l. c. pag. 567.

*e)* In Leske auserl. Abh. 1. S. 155.



moriae tradita est; ceterum etiam MONROUS *f*) incarcerationis per mesenterii aperturam factae meminit.

Hernias, quae vulgo a *diaphragmate* seu *thorace* cognominantur, haud minus herniis istis internis adnumerandas, quae per aperturas praeternaturales vel conceptacula sacciformia diaphragmatis exoriuntur, hic silentio praetereo, ne nimis prolixus fiam, aut ab instituto meo, quod solummodo alienationes huiusmodi morbosas spectat, quae inter cavum abdominis ipsum obveniunt, deflectam. Commendo iis, qui plura de eiusmodi abnormitatibus legere cupiunt, cl. SÖMMERINGI *g*) librum infra laudatum, in quo magna herniarum diaphragmatis copia collecta et accurate descripta est. Atque ex eadem causa omitto etiam hernias internas, quae a vitio primae formationis ortum ducere censentur, si tunica vaginalis testiculi pro parte aperta remansit, ob quam causam *herniae congenitae*, aut, uti COOPERUS *h*) recte monet, *herniae tunicae vaginalis* nominantur. Ceterum lectorem benevolum, si plura de his abnormitatibus scire auet, ad operas EXCELL. SCHREGERI *i*) atque SEILERI *k*) amando.

Interdum, utut rarius, pars intestinorum solummodo in sacco aliquo s. conceptaculo praeternaturali omenti s. mesenterii posita occurrit. Ita GIBERT DE WITT *l*) in viro, hernia incarcerata

*f*) Observ. on a crural hernia etc.

*g*) Ab. d. Brüche am Bauche und Becken u. S. 8 — 19.

*h*) Anat. u. chir. Behandl. der Leistenbr. u. angeb. Brüche. a. d. E. v. Kruttge. 1809.

*i*) Ab. d. Wasserbr. des Scheidencanals. In d. Abhandl. der phys. med. Societ. z. Erlang. I. S. 345.

*k*) Anleit. z. Berglied. der Leistengegend u. Erläut. der Entwicklungsgeschichte der Hoden in Scarpa's neuer Abh. üb. Schenkel- u. Mutterfleischbrüche. A. d. Ital.



defuncto, segmentum intestini Ilei in omento implicatum et cum eo concretum invenit, in regione autem a loco, ubi haec abnormitas conspiciebatur, aliquot circiter pollices remota aliam illi similem implicationem animadvertit. In utroque loco intestinum strangulatum et gangraena captum erat. —

LARREUS *m*) itidem verba fecit de intestino in omento incluso, et alium casum incarcerationis internae per omentum commemoravit REGNAULTUS *n*). — Huc etiam, ni fallor, duae aliae observatiores, de quibus COOPERUS *o*) retulit, pertinent, quarum altera saccum herniosum, quo omnia intestina tenuia continebantur, inter laminae mesocoli, altera, talem saccum inter laminae mesenterii formatum concernit. Has abnormitates MECKELIUS *p*), nec male, a vitio primae formationis pendere contendit. Ceterum veri utique simile est, hoc quoque modo singulares intestinorum partes in mesenterio incarcerari posse, etiamsi apertura in eo praeternaturalis defuerit. Casum talem herniae in mesenterio VAN DER KOLK *q*) tradidit, aliaeque huiusmodi herniarum internarum observationes inveniuntur apud TRONCHINUM *r*), de quibus plura verba facere vix opus erit.

Has herniarum formas, quarum alteram *herniam entero-e-*

*l*) cf. Richters chir. Bibl. Bd. III. pag. 632.

*m*) cf. Desault außers. chir. Wahrnehmungen. N. 227.

*n*) cf. Journal gén. de Méd. T. XVII. pag. 24.

*o*) cf. l. c. pag. 96. et Kühn phys. med. Journ. 1800. pag. 317.

*p*) l. c. pag. 472.

*q*) Diss. observat. varii argumenti. 1793.

*r*) Observ. sur les hernies epiploïques internes, in Mém. de l'acad. de Chir. T. V. pag. 649.



*piploicam s. entero - omentalem*, alteram, secundum DE HÄENUM s), *herniam entero - mesocolicam* nomino, dividere etiam possumus in eas, quae *sacco hernioso plane carent*, (quod intestinum per aperturam praeternaturalem transgressum est,) atque in eas, in quibus adest *saccus herniosus* vel omenti vel mesenterii ope formatus. A. COOPERUS t) quidem strangulationes istas intestinorum in aperturis abnormibus, nec contorsiones omenti, mesenterii aliarumque partium, hernias revera non esse contendit, quoniam intestina ibi ex cavo abdominis haud prolapsa sint; attamen ego eas quoque herniis adnumerare nullo modo dubito, quum COOPERI definitio herniarum, secundum quam prolapsum intestinorum ex ipsorum cavo herniam esse dixit, ei sententiae, quam aliis locis de hac re proposuit, non respondeat. \*)

s) l. c. pag. 103.

t) l. c. Ibidem.

\*) Ne quid omittam, hic commemorare necesse est, hernias quoque ita exoriri posse, ut ex peritoneo cavitates sacciformes et conceptacula praeter normam formentur. NEUBAUERUS v. c. talem saccum invenit, qui intestina tenuia includebat eaque hoc modo a reliquis abdominis visceribus separabat. — (cf. *Meckel l. c. Bd. II. Abth. 2. pag. 470*). Atque sic etiam BORDENAVEUS sectionem viri instituit, qui repente a vehementiori singultu, vomitu omnibusque signis herniae incarceratae correptus, die morbi decimo octavo animam exhalaverat. Externe nullo modo signa herniae detecta sunt, etsi aegrotus iam per plures annos non aliter, quam latere dextro cubare potuerit. Omentum funis instar contortum a superiori abdominis parte inferiorem petens cum peritoneo supra ossa pubis concretum fuit, intestinaque subiacentia vehementer compressit. Quaedam ilei pars praeter normam dilatata et in peculiari, eoque crasso membranaceo sacco, quem peritoneum formaverat, abscondita, cum sacco autem concreta et in eius orificio ita strangulata fuit, ut gangraenesceret. — Verosimile est, saccum istum fuisse vitium primae formationis. Alia observatio huc pertinens relata est in *Dict. des*



## §. VI.

*De intestinorum strangulationibus per processum vermiformem, appendices abnormes.*

Per processum vermiformem ut et per intestinorum appendices praeternaturales haud raro intestina strangulantur. Ita mentionem fecit MARTEAUS et BOURGEOISUS mulieris Ileo morbo defunctae, in qua processus vermiformis cum mesenterio concretus ieiunum strangulaverat *u)* et MOREAUIUS *v)* casum huic ad-

*scienc. méd. art. Ileus pag. 565.* a FAGESO, medico Monspelliensi. Narratur hic etiam historia morbi, cui tunica vaginalis pro parte nondum oblitterata et testiculus in abdominis cavo adhuc absconditus ansam dederat. „Virum XXVI. annorum laborasse“ refert auctor „colica vehementiore, alvi obstructione et dolore acri fixoque in regione iliaca dextra, quo, postquam, corpore deorsum inclinato, in eadem abdominis regione crepitudinem persenserat, statim fuit correptus; obiisse tandem hunc aegrotum continuo vomitu nono morbi die. Reperiebatur testis sinistri lateris in scrotum delapsus, praeterea vero nec signa herniae alicuius, nec testiculi in abdomine retenti apparuerunt. Abdomine aperto in conspectum prodiit ansa ilei intestini, supra quam erant mercurii vivi unciae sex. Haec ansa in sacco a peritoneo formato deprehendebatur et saccus ipse in media regione anterioris superficiei musculi Psoas et in superiore parte latereque dextro intestini recti positus erat. In parte huius sacci inferiori, hic disrupta, testis denudata atque epididymis conspiciebatur, quasi haec organa per partem intestinalem ingressam ex tunica vaginali fuissent expulsa. Solummodo epididymis in sacco remanserat. Verosimile est, intestinum, quum corpus inclinatum fuisset, in processum peritonei intrasse ideoque incarceratum fuisse.

Attamen eiusmodi abnormitates rarius observantur, quam herniae internae, quae in omento et mesenterio occurrunt. —

*u)* Journ. de Méd. T. XXXII. pag. 325. cf. Meyer l. c. pag. 152.

*v)* ibid. T. LXXXIV. N. IV. cf. Voigtel l. c. pag. 567 et Dict. d. sc. m. T. XXIII. p. 564.



modum similem, qui ipsi obvenit, nobis fecit cognitum. Huiusmodi observationem incarcerationis alicuius partis intestini tenuis per eundem processum in iuvene, qui Ileo morbo defunctus erat, procreatae SCARPA *w)* tradidit. De colo, cuius insuper magna portio plica aliqua fuerat occlusa, per processum vermiformem strangulato EHRHARDTUS *x)* verba fecit, et MONROUS intestinum Ileum ab eodem processu, cuius ultima pars mesenterio adhaerebat, perfecte strangulatum vidit *y)*. — Hisce observationibus aliam equidem adiicio antecedenti haud dissimilem, memoratuque dignissimam, quam ante annum circiter EXPER. CERUTTI Lipsiae fecit, et mecum humaniter communicavit. Vir nempe quinquagenarius, qui vitam continuo sedentariam gesserat, et a pluribus inde annis de molestiis abdominalibus, praecipue de alvo saepius obstipata doloribusque colicis erat conquestus, simulque faciem cachecticam obstenderat, subito, quum praeter normam sese perbene habuisset, post commissationem propter hospitem socialium maiorem numerum forsitan nimis largam, ab omnibus molestiis signisque herniae incarcerationae corripiebatur et quarto die Ileo defunctus est. Prosector theatri anatomici Lipsiensis, EXPER. BOCK, praesente EXP. SONNENKALB, qui curam huius aegroti in se suscepit, cadaveris sectionem instituit. Inferior intestini Ilei pars per processum vermiformem, cuius longitudo quindecim pollices exaequabat, in prospectum venit ita strangulata, ut in laqueo, quem processus iste formu-

*w)* Langenbeck's Bibl. Bd. 2. S. 241.

*x)* Nov. Act. Nat. Cur. Vol. 8. 1791.

*y)* Apud Voigtel l. c. p. 567.



verat, intestinum bis curvatum esset repertum, curvaturae autem hae longitudinem undeviginti pollicum haberent. Processus vermiformis funiculum effecerat paene solidum, qui in fine sese in album tenueque filum commutaverat, tractui intestinali concretionis ope adhaerens. Infra strangulationem istam ileum intestinum vehementissime inflammatum ac fere gangraenosum factum comparuit. Filum illud albescens haud dubie iam diutius cum intestino concretum, ipsaque coarctatio haud recens fuit; strangulatio vero lethalis ortum habuit ab inflatione intestinorum nuperrime ab aegro sibi contracta, quae fortassis propterea nondum locum habuerat, quod aegrotus antea in cibis potuque assumendis moderatius observaverat regimen. z)

His casibus alios addo, qui mihi in medicorum scriptis occurrerunt. Et AMYANDUS a) quidem refert, se observasse appendicem, quae sub angustiori angulo intestino ileo sese implantaverat ita, ut, quum excrementa in eum descenderent, constrictio intestini veri per appendicis expansionem nata mortem provocaret.

MONROUS b) filius similem observationem descripsit. Processus quidam coecus (appendix) praeter normam a tubo intestinali exortus et in inferiori eius regione per habenam membranaceam affixus, partem intestinorum tenuium strangulaverat.

---

z) EXP. CERUTTI hanc observationem memoratu sine dubio dignissimam accuratius describere tabulaque aenea magis illustrare promisit in fasciculo mox prodituro Tom. secundi Musei anat.-pathologici.

a) Meyer l. c. pag. 159.

b) Apud Meckel l. c. pag. 469.



Huc casus quoque pertinet, de quo MOSCARIUS *c)* verba fecit. Homo, qui hucusque integra valetudine gavisus erat, nimiam copiam leguminum comederat. Paulo post ab omnibus herniae incarceratae molestiis correptus quinto morbi die obiit. Tractus intestinalis ubique inflammatus, intestinum vero Ileum hic illic nigrescens fuit. Huius intestini finis, secundum MOSCARI relationem, in duos ramos erat divisus, ita ut haec divisio, quae supra ilei finem inferiorem erat, duorum pedum et dimidii longitudinem haberet. Ramus maior fuit ipse tractus intestinalis, eumque minor debiliorque canalis, qui quinque pollicum mensuram explebat, circa istum sese volvendo strangulaverat. Intestinum incarceratum bis in diversis locis diruptum fuit. Ab hac observatione haud multum differt casus a VAN DOEVEREN *d)* relatus. Is quippe in muliere, secundo die post vehementissimi *Ilei* insultum defuncta, appendicem intestini *Ilei* invenit, isti, de qua supra locutus sum, haud dissimilem. Fini eius adhaerebat breve filum etiam cum Coeco concretum. Laqueus hoc modo formatus totam infra illius appendicis originem atque intestinum Coecum positam ilei intestini partem strangulaverat. Haec ilei portio simul cum appendice valde inflammata et gangraenosa erat atque propter nimiam faecum flatuumque molem rigebat. — Huc pertinet etiam observatio, quam DUVIGNAU et LOUIS *e)* descripsere. In homine, cui *Ileus* mortem adduxerat, tractus intestinalis partem duos pedes totidemque pol-

---

*c)* Ibidem.

*d)* Apud Meckel l. c. Bd. 1. S. 594.

*e)* ibid. Bd. 2. Abth. 1. S. 469 et Dict. d. sc. m. T. XXIII. art. *Ileus* p. 567.



lices longam invenere hi cl. viri per funiculum quatuor pollices longum (qui ab intestino ileo, cuius erat processus, ortum duxerat et mesenterio adhaerebat ita, ut intra utrumque eius finem particula intestinorum tenuium 40. pollices longa esset posita) strangulatam et ab inflammatione gangraenaque correptam. — Denique hic commemorandus adhuc est casus, de quo MARTIN, medicus Lyonensis, verba fecit. *f*), Vir triginta annos natus; cuius abdomen valde dolebat et tensum erat, propter hunc imi ventris morbum ad nosocomium Parisiense, quod *Hôtel-Dieu* vocant, confugerat. Quum hic onus quoddam cum aliqua vehementia submovere voluisset, de crepitu in abdomine percepto statim conquestus est, quem excepit dolor magis magisque increscens, ita ut die sexto aegrotus ab omnibus *Ilei* molestiis cruciatus animam redderet. Discisso abdomine intestina invenit MARTINUS flatibus mire distenta, magnamque ilei intestini partem gangraena tactam. Causa mortis fuit appendix ex inferiore intestini ilei regione exorta, quae processui vermiformi haud dispar erat, atque, quum concreta ea esset cum mesenterio, formaverat laqueum, tres intestini ilei curvaturas ita strangulantem, ut eius regiones constrictae et planae oblitteratae invenirentur. Ceterum similem appendicem septem pollicum, intestina tenuia strangulantem, REGNAULT *g*) quoque reperit. —

Haec, de quibus retuli, exempla docent, non solum processum vermiformem, simulac cum aliqua intestinorum parte concrevit, vel ligamentum spurium, in eius fine natum (vid.

---

*f*) Dict. d. sc. méd. l. c. pag. 563.

*g*) Ibidem.



Observationes KLOECKHOFII et LAFAYEI §. IV. enarratas), si uni alterive intestini parti adhaeret, sed etiam appendices praeter normam exortas intestina coarctare et plane impervia reddere posse.

Super strangulationibus intestinorum, quae non a processu vermiformi, sed ab appendice aliqua praeternaturali pendent, MECKEL *h)* sententiam dixit, quam hoc lubentius hic iudico repetendam esse, quo magis hae observationes illi respondere videntur. Opinatur nempe hic praeclarus anatomicus appendices illas in casibus, quorum plures supra enarravimus, remansisse ex isto tempore, quo primum intestina embryonis formabantur, atque ob hanc imprimis causam eos in intestino ileo praesto esse *i)* —, fila autem illa, quae ex appendicis illius fine prodeunt et in funeribus comparent, habenda esse pro oblitteratis vasis omphalo-mesaraicis. Ceterum arbitratur cl. vir, appendicem intestinalem, quae vitium sit primae formationis, functionibus, quibus peragendis tractus intestinorum destinatus est, plane nullum impedimentum afferre, quamdiu vasa omphalo-mesaraica ei adhaereant, libereque, fili in modum, in cavo abdominis moveantur; eorum autem cum reliquis organis abdominalibus concretionem et inde productam tubi intestinalis strangulationem morti causam praebere posse.

Huc quoque pertinere equidem censeo casum supra commemoratum, quem EXP. CERUTTI (cf. pag. 18) mecum communi-

---

*h)* Meckel l. c. Bd. 1. pag. 553 et 593.

*i)* In museo anatomico-pathologico theatri anatomici Lips. septem inveniuntur praeparata cum diverticulis, quae omnia intestino ileo inseruntur. cf. Cerutti Besch. d. anat. Präp. des anat. Theat. zu Leipz. 1819. S. 170.



cavit. Namque quum in eo loco, ubi filum illud ex fine processus vermiformis exiens intestino ileo sese inserebat, ex huius intestini superficie prominentia aliqua adesset, veri omnino simile videtur, hanc prominentiam residuum fuisse istius appendicis intestinalis, filumque istud ex vasis omphalo-mesaraicis, cum cauda processus vermiformis concretis, originem sumsisse suam.

Tales appendices s. huiusmodi diverticula in aliis tractus intestinalis partibus perraro tantum animadvertuntur, in *intestino ileo* e contrario fere semper obveniunt *k*). — MECKEL *l*) appendices in aliis partibus observatas *diverticula spuria* appellat, quoniam ex herniis tunicae tubi intestinalis intimae per tunicam eius muscularem exoriuntur *m*). —

Equidem, ut ingenue fatear, strangulationem intestinorum per diverticulum tale spurium provocatam non novi, etsi haud negare volo, hoc modo fieri eam posse; atqui eiusmodi eventus hoc facilius locum potest habere, quo maioris longitudinis diverticulum cum aliis organis concretum est; nam ita facillime laqueus formatur.

Ad observationes rariores hic commemorandas referendae sunt eae, quas ALBERTI *n*) et DORILUS *o*) nobis fecerunt cog-

*k*) vide supra.

*l*) l. c. Bd. 11. Abth. 1. S. 294.

*m*) Inter praeparata huiusmodi in musco pathologico Lipsiensi conservata solummodo unum invenimus exemplum, diverticulorum duorum brevium parvarumque in ramo descendente Duodeni conspiciendorum. cf. CERUTTI l. c. p. 171.

*n*) cf. Meyer l. c. p. 152.

*o*) Auswahl d. best. Beob. f. Wundärzte, 1783. Sr. 1. S. 110.



nit. Ille quippe intestinum ileum strangulatum vidit per mesenterii partem a tubo intestinali separatam, quae intestinum ita amplexa erat, ut transitus rerum in eo contentarum plane esset impeditus; DORILUS autem tubam Fallopii intestini crassi partem constringentem conspexit.

### §. VII.

*De strangulationibus intestinalis tubi per intestina ipsa inter se invicem implicata et concreta.*

*Intestina diversis etiam implicationibus praeternaturalibus et con crescentiis inter se ipsa strangulari posse, plures docent observationes a claris viris factae.*

Sic RIVERIUS p) mentionem fecit aegroti, qui, ex intenso frigore, vehementi dolore colico corripiebatur. Tertio morbi die accedebat vomitus cum alvo sicca: ingruit febris cum linguae ariditate, sedati tamen sunt dolores. Septimo morbi die materiam stercorosam vomere aegrotus coepit., alvus tamen mansit sicca, tandem restituta est alvina excretio et vomitus cessavit. Per quinque dies continuatus alvi fluxus de novo desiit, febris, eaque cum virium imbecillitate iuncta, fuit superstes. Die decimo tertio graviori inquietudine affectus aeger est, et, plane fractis viribus, occubuit. Inventum in funere est ileum tribus complicationibus involutum et circa illius finem quasi in unam massam compactum. Tota haec intestini portio complicata, cum portione mesenterii ipsi adiuncta, gangraena tacta inveniebatur.

---

p) Apud Lieutaud Hist. anat. med. Vol. 1. L. 1. obs. 457. p. 142. cf. quoque Meyer l. pluries cit. p. 157.



Ceterum diruptum erat intestinum, et per foramen sic exortum omnis excrementi colluvies in abdomen effluxerat. —

Casum huic similem nobiscum communicavit BONETUS *q*): Puella ex epileptico insultu in *affectionem iliacam* incidit, vermesque cum excrementis alvinis deiecit. Post mortem in funere circa finem Ilei quinque intestinalis tubi complicationes comparuerunt.

Huc etiam, ut mihi videtur, observationem a BARTHOLINO *r*) narratam referre possumus. In puero, qui, dum viveret, faeces alvinas per os reddebat, reperiabantur intestina volvulo constricta et inter se invicem implicata. WILLISIUS *s*) casum huic non multum absimilem descripsit: Puella novennis vertigine cum crebris lypothymiae insultibus laborabat. Aderat simul tussis fere continua et humida, quae dein colvulsiva evasit, vires autem erant languidae et ciborum appetitus plane deficiebat. Tum apertius aegra febricitabat cum siti et calore, noctesque ducebat insomnes cum insigni corporis agitatione. Accessit postea delirium, quod excipiebant convulsiones lethales. In funere vasa cerebri inveniebantur sanguine turgida ad rupturam usque, et pluribus in locis prope cerebellum sanguis atro-purpureus extravasatus in conspectum prodibat. Intestina tenuia passim mutuo erant involuta et plus minusve strangulata \*). Hunc equidem casum inter eos, qui perraro obveniunt, referendum esse censo; etenim utut plures evolvi medicorum recentiorum libros,

*q*) Apud Lieutaud L. 1. obs. 461. p. 143. (cf. BONETI sepulchr. s. Anat. pract. T. III. sect. XIV. obs. 22.)

*r*) Ibid. obs. 463. p. 144.

*s*) Ibid. L. III. obs. 368. p. 416.

\*) cf. Richter's chir. Bibl. Bd. 2. p. 585.



nullibi tamen observationem reperi, quae comparari cum illa, quam WILLISIUS fecit, posset; hinc colligo, implicationes intestinorum inter se ipsa in universum rarius occurrere, quam strangulationes per omentum, aut per habenas membranaceas praeternaturales atque processum vermiformem productas.

Interdum concretiones diversarum portionum tractus intestinalis causam sistere strangulationum compertum habemus \*). MECKELIUS †) detexit in puero quindecim annos nato quatuor partes externas intestini tenuis ita inter se concretas, ut intra tubum intestinale mesenteriumque spatia superessent, quorum diameter tantum pollicem exaequabat, quorumque ope intestina haud dubie incarcerationi potuissent \*\*), si qua occasionalis causa accessisset.

Concretionem intestinorum facillime ex eorum praegressa inflammatione et lymphae plasticae s. coagulabilis exsudatione explicari posse, quisque mecum lubenter concedet. Difficilius autem intellectu est, quomodo implicationes intestinorum mutuae exoriantur? — Fortassis ex antiquiorum doctorum, celeberrimorum imprimis anatomorum PEYERI et BRUNNERI relationibus, quae observationibus in funeribus factis nituntur, aliquid lucis huic rei afferri poterit. PEYERUS namque volvulum vel, sicuti alii dicunt, intussusceptionem intestinorum in *ranis* exoriri animadvertit, postquam abdomen earum aperuerat et intestina

\*) cf. Huxham in Leske's *Nuſz. aus d. philos. Transact.* Band 2. S. 120.

†) l. c. Bd. II. Abth. 2. p. 476.

\*\*) Casum rariorem incarcerationis intestinorum apud MECKELIUM descriptum inveni l. c. p. 476. — Lesauvage hunc morbum ab haud parva hydatidum mole provocatum vidit.



stimulo aliquo incitaverat. Provocavit ita, si tubum intestinalem totum irritante potentia tetigerat, strangulationem internam. Omnes sane Ileii morbi, variarumque eius caussarum indagandarum gratia accurate institutae observationes docuerunt, in corpore humano rem eodem modo se habere. Praesente quippe irritatione tractus intestinalis a causa interna provocata, statim omnis hic tubus a vehementioribus convulsivis motibus circumiicitur, intestina in abdominis cavo perverse mota ad diversissimas huius cavi regiones adpelluntur, et volvuli implicantur rursusque solvuntur in quovis fere temporis momento. Quodsi vero huic in normalem statum reditui tubi intestinalis obex opponitur, strangulationes internas exoriri posse patet. Quam ob causam character morbi primitivi plane alienatur. Nunc enim volvulus verus adest, sedatis, quas secutus erat, affectionibus spasmodicis. —

Has observationes experimentis in diversis animalibus institutis BRUNNERUS egregie confirmavit. Etenim quum intestina incitasset, semper convulsiones tractus intestinalis fuerant productae, et, excrementis ad ventriculum repulsis, faeces per os excretae. —

Etsi autem hi cel. viri u) hasce observationes potissimum explicandi ortus volvuli s. intussusceptionis intestinorum causa susceperunt, eas tamen etiam eo adhiberi posse, ut complicationum seu involutionum huius tubi ratio pateat, mihi persuasum habeo.

---

u) Dict. d. sc. méd. Tom. XXIII. pag. 545 et 546.



## §. VIII.

*De strangulationibus intestinorum per intestina circa ipsum axin eorum convoluta et contorta.*

Iam ad peculiarem istam abnormitatem pervenio, quam, quum ab antecedentibus plane differat, ut separatam classem s. peculiarem formam recensui: nempe ad *convolutionem* sive *contorsionem* portionis intestinalis circa axin suam, qua fit, ut lumen tractus intestinalis compressum auferatur. Atque huc pertinet observatio paragrapho prima libelli mei descripta, quam equidem rarissimis huius generis casibus annumerandam esse censeo. Sane apud recentiores saltem scriptores, qui de hoc argumento egerunt, ego huiusmodi observationes inveni nullas, sicuti etiam in veterum auctorum libris, praeter eos casus, de quibus paucis referam, omnino nihil, quod huc spectet, mihi obvenit.

PLATERUS v) quidem loquitur de puero hydropico septemdecim annorum, qui, quum per quatuordecim dies *excrementa per os evomisset*, nec per secessum quicquam excrevisset, exspiravit. — Instituta cadaveris sectione intestina tantopere distenta in conspectum venerunt, ut femoris crassitiem quibusdam in locis haberent, aliae autem eius portiones ita erant *convolutae, intortae et implexae*, ut hic nec excrementis, nec flatibus, ulla pateret via. Ceterum hepar corruptum et concretionum lapidearum plenum erat.

Magis etiam singularis haec abnormitas illustratur casu, de

---

v) Apud Lieutaud Lib. I. obs. 458. pag. 143.



quo DILEMANNUS x) retulit. Cadaver cuiusdam viri, affectione iliaca defuncti, cultro anatomico subiectum exhibuit intestinum ileum contortum et plicatum (non secus ac lintheum a lotricibus convolutum) sic, ut massae a cibis residuae aditus ad intestina crassiora plane esset praeclusus. Casum similem descripsit BARBETTUS his verbis: in cadavere aegroti cuiusdam Ileo morbo sublato inventum est ileum in septem diversis locis ita convolutum, ut cibis potui faecibusque omnem denegaret transitum. Commemoro hic etiam tres alias observationes, quae huc fortassis pertinent. Dico fortassis, quoniam verba, quibus earum auctores utuntur, haud satis clara et perspicua sunt.

RUYSCH meminit puellae quinque annorum, quae iam a longo inde tempore de ventris torminibus conquerebatur, quibus tandem ultra modum axacerbatis fatis cessit. Abdomine discisso vix ullum, mirum dictu! imi ventris viscus oculis se praebeuit conspiciendum, propter enormem extensionem partis sinistrae intestini coli in rectum abeuntis; namque sub hac parte latitabant viscera contracta valde atque compressa y). —

PANAROLUS z) mentionem fecit intestini ilei quasi farciminis s. laquei instar convoluti, et DAVIESUS a) de colo ita implexo loquitur, ut faeces penetrare illud nequirent.

Observationes etiam Coli vehementissime expansi, et a situ suo normali remoti, plures prostant in scriptis medicorum, quarum

---

x) Apud Lieutaud L. 1. obs. 460. p. 145.

y) Ibid. obs. 462. p. 146 et obs. 487 p. 148.

z) cf. Meyer l. c. pag. 157.

a) Ibid. pag. 158.



nonnullas hic paucis enarrabo. — BATTINI *b)* e. c. colon invenit tantopere dilatatum, ut eius diameter mensuram quinque pollicum haberet. BAILLIEUS *c)* adeo huius intestini diametrum sex pollices exaequare vidit. WHITE *d)* colon conspexit ab nimia excrementorum copia ita expansum, ut, quod spectat ad crassitiem, simile esset femori robusti viri, abdomenque vehementissime expansum oculis pateret. STOLLIUS itidem atque STÖRKIUS hocce intestinum in modum vix describendum dilatatum viderunt *e)*. — Praeterea multa alia, quae huc pertinent, exempla, praecipue in veterum scriptorum operibus obvia, LIEUTAUDUS collegit *f)*.

Colon tumidum vehementerque faecibus impletum tactu quandoque per abdominis integumenta sentiri potest, ita ut pro tumore lienis (*splenocoele*, *placenta febrilis*) haberi facile possit *g)*. — Imo haud desunt observationes Coli ex situ suo naturali ita recedentis, ut flexurae valde abnormes in eo animadverterentur.

Plures eiusmodi abnormitates HALLER, MORGAGNI, VAN DOEVEREN, DE HAEN, SANDIFORT, STOLL, CHAMBON DE MONTAUX *h)*, RICHERZ *i)*, MICHAELIS *k)*, ROTH *l)*, SÖMME-

---

*b)* Meckel l. c. Bd. II. Abth. 2. pag. 290.

*c)* ibid.

*d)* Samml. außert. Abb. f. pr. Aerzte. Bd. 1. St. 4. S. 169.

*e)* Apud Voigtel l. c. pag. 628.

*f)* l. c. Libr. I. pag. 90 sq. et pag. 96 sq.

*g)* Voigtel l. c. pag. 628.

*h)* Ibidem.

*i)* cf. Haller coll. disp. pract. Tom. VI. p. 827.

*k)* cf. Loder's Journ. f. d. Chir. Bd. III. S. 100.

*l)* Pathologia intestini Coli. Erlang. 1803.



RING *m*) et HENNING *n*) observarunt atque accurate descripserunt.

Ceterum et VATERI tractatus *de situ naturali et praeternaturali intestini Coli* (*Vitenb.* 1737), nec minus LEURINKII liber *de morbis a situ intestinorum crassorum pendentibus*. *Gottingae* 1756. iis, qui plura nosse de morbois intestinorum variorum affectionibus velint, sunt commendandi.

Iam vero quaeritur: quomodo exoriantur hae peculiares, mirabilesque convolutiones s. contorsiones intestinorum? — Ad hoc problema solvendum multum conferunt explorationes PEYERII et BRUNNERI, de quibus supra diximus. Caussam quidem proximam, secundum horum celebrium virorum placita, sistit intestinorum irritatio, quam affectio spasmodica sequitur. Forsitan in quibusdam casibus irritatio minorem tractus intestinalis partem et magis topice tetigit, morbumque minus gravem produxit. Si autem ista irritatio, eamque excipiens affectio, magis universalis fuit, totumque tubum intestinale instigavit, implicationem huius visceris facilius provocare valet. Dilatatio igitur intestinorum, ex lege naturae, effectus est talis caussae. Vice versa cogitari quoque licet, dilatationem praegressam in aliquo loco contractionem intestini alicuius et strangulationem provocare posse. — MECKELIUS saltem contendit, in omnibus casibus, in quibus *supra* locum intestini dilatatum hicce canalis contractus inveniebatur, contractionem pendere a nisu, quem tunica eius muscularis exserit, quemque impedimento isti oppo-

*m*) Apud Baillie l. c. pag. 124. XXXVI.

*n*) cf. Hufeland's Journ. Bd. VIII. St. IV. S. 54 c. tab. 1. Fig. 1.



nere conatur o). — Atque hoc sane cl. viri iudicium responsionem, quantum ego censeo, sufficientem ad nostram quaestionem continet.

Ceterum RICHERANDUS p) arbitratur, volvulum s. intussusceptionem intestinorum haud raro inde exoriri, quod mesenterium, ad maiorem tubi intestinalis confirmationem destinatum, officio suo saepius non satisfaciat, atque a tali causa itidem ortum convolutionis intestinorum quandoque repetendum esse persuasum mihi habeo.

Ex his ergo elucet, duplici modo abnormitates illas oriri posse. Etenim aut *convolutio intestini*, quam irritatio eius spasmodica, per longius fortasse temporis spatium continuata, provocat, prius locum habet, et hanc demum dilatatio sequitur; aut haec expansio primum observatur, eaque deinde convolutionem producit, quae vel eo modo, quo MECKELIUS stricturas huius generis in illis casibus, in quibus tractus intestinorum simul dilatatus est, oriri opinatur, vel in quibusdam exemplis ita, ut intestinum in eo loco, ubi illud flatuum faecumque plenum et ob hanc causam valde dilatatum est, contorqueatur, quoniam mesenterium fortasse relaxatum in situ naturali contineri nequibat.

In observatione, quam equidem in paragrapho prima descripsi, ista hernia inguinalis, qua antea laboraverat aeger, sine dubio per longius temporis spatium plane neglecta et serius demum bracherio haud satis retenta, continuum statum tubi inte-

---

o) l. c. Bd. II. 2. p. 291.

p) Grundriß der neuern Wundarzneyk. Th. IV. S. 165.



stinalis spasticum provocaverat, quem cum molestiae itineris longioris, tum diaeta statui valetudinario huius viri minus accommodata, qua in itinere usus est, sustentarunt. An in hoc casu convolutio intestini primum adfuerit et sensim sensimque dilatationem viscerum promoverit, an continua tubi intestinalis irritatione atonia in eo sit provocata, quae dilatationi deinceps oriundae faveret, equidem definire non ausim.

### §. IX.

#### *De morbo ileo medendi ratione.*

Strangulationes varias intestinorum, de quibus verba fecimus, curandi methodum proferre, res maximae profecto est difficultatis. Sunt, qui credant, vix inveniri posse remedia iis sanandis apta, morbumque absolute lethalem dicendum esse. Neque ego negare ausim, plerumque hunc morbum omni medicinae resistere. Attamen obvenerunt aegri, qui aut mortem effugerunt, aut saltem, certis sub conditionibus, satis diu, aptorum medicaminum auxilio, morbum passi sunt, neque, nisi post longum demum tempus, illi succubuerunt. Lubet felicitis eiusmodi eventus exempla quaedam afferre.

ARNAUDUS *q)* retulit casum (vid. §. V.) viri 50. annorum, hernia omentali laborantis. Ob herniam incarceratam quarto die aeger operationi sese subiecit. Pars intestini ilei per fissuram omenti prolapsa et incarcerata erat; annulo hoc herniali dissecto et intestino reposito *sanatus est aeger*. — Inter observationes rariores herniae internae cum externa complicatae, quae in scri-

---

*q)* cf. Voigtel l. c. pag. 556.



ptis variis occurrunt, solummodo hunc casum felicem habuisse exitum, reperi; nam ii aegri, de quibus MORTEAU (vid. §. VI.) et CALLISEN (vid. §. V.) loquuntur, mortui sunt, etsi in altero hernia externa non fuerat incarcerata, in altero autem operatio fuerat instituta. Nihilo tamen minus docet ista observatio, herniam internam sanari posse.

Aliam observationem, quae sententiae nostrae fidem facit, iam §. IV. commemoravimus, eaque est descripta in: *Mém. de l'acad. de Chirurgie. T. IV. p. 237. r*). — Ileum in viro per habenam longam membranaceam strangulatum, habena ipsa autem gangraena affecta erat, ita ut *facillime lacerari posset*. Vix dubitandum est, vitam huius hominis conservari potuisse, si ante eius obitum habena fuisset disrupta. Atque hinc patet, in istis quoque intestinorum strangulationibus, imo sub conditionibus periculosissimis, non omnino desperandum esse, naturamque ipsam eo niti, ut talia impedimenta removeat.

Aliquando etiam observatum est, aegros, licet paene omnia signa gangraenae internae praesto essent, per anum maiorem minoremve particulam intestini gangraena affecti excrevisse, atque eos sic mortem effugisse. In istis casibus sine dubio per intestinorum aut inter se, aut cum peritoneo concretionem continuas tubi intestinalis fuit conservata s). —

Exstant etiam hic illic observationes, quae testantur, in affectionibus iliacis admodum pertinacibus felicissimo cum effectu medicamina quaedam in usum tracta fuisse. Sic forte in qui-

r) cf. quoque Meckel l. c. Bd. II. 2. S. 476.

s) Abhandl. f. pr. Nerzte. Bd. 22. S. 147.



busdam huius indolis casibus *emetici* administrati ope effici potuisset, ut intestinalem tubum strangulans habena dirumperetur, omniaque symptomata, quibus ea occasionem dederat, e medio tollerentur. At enim vero haud facile determinari poterit, quis status et quae affectiones aegri debeant esse, si cum fructu talem medicinam adhibere velis.

Ceterum ad hoc quoque respiciendum est, ut supra iam monui, existere stadium nostri morbi, in quo istae implicationes intestinorum *praecipue a spasmo* pendent; prouti vero alii morbi, sic ii etiam, de quibus loquor, in hoc stadio, remediis morbo respondentibus, quandoque facillime sanari possunt, etsi signa affectionis iliacaе, illiusque admodum gravis, iam adsint. Atque huc sine dubio pertinet magna pars eorum aegrotorum, qui hunc morbum feliciter effugerunt, neque veri haud absimile est, in hoc tantum morbi stadio curam, si eam suscipere volumus, instituendam et medicamina eiusmodi, quae dynamice et mechanice agunt, interne et externe magna copia administranda esse.

Vix opus est, ut omnia, quae commendarunt medici, huius classis pharmaca hic recenseam, utpote quae artis peritis sunt satis nota.

Hinc nolo longus esse in commendandis remediis dynamice praeprimis agentibus, et mox in universum corpus, mox in quasdam tantum eius partes vim exercentibus *antiphlogisticis*, aut *antispasmodicis*, (ad quae Moschus, Castoreum, Opium, Radix Valerianae et Ipecacuanhae pertinent,) *epispasticis externis* (e. g. cucurbitulis siccis et vesicantibus *t*), *diluentibus*, *emollien-*

---

*t*) vid. Pringle's *Feldkrankheiten*, S. 150.



*tibus et laxantibus vel mitioribus* (ut salibus, veluti sale amaro sedlicensi, quod SYDENHAMUS, PRINGLIUS, aliique laudibus extulerunt, oleis pinguibus *u*) e. g. lini, cuius usum multum celebravit GALLESKY *v*), et ricini, item lacte sulphuris, quod WERLHOFFIUS *w*) propter felicem effectum, quem post eius usum animadvertit, commendatione imprimis censuit dignum, cremore tartari (VOGLER,) aliisque pharmacis huius indolis,) vel *drasticis* (v. g. resina Ialappae (GRUNER) Colocynthide, Calomelite (DONALD MONRO *x*) vel per se, vel cum rhabarbaro iuncto, quae miscela, praemissis balneis calidis, clysmatibus ex decocto herbae Nicotianae cum aceto, atque infuso laxativo viennensi haud incassum quandoque adhibita est a KORTUMO *y*). Nec mentionem facio *enematum plus, minusve irritantium* ex decocto radice Ipecacuanhae *z*), aut herbae nicotianae vel huius plantae fumo *a*), item ex tartaro stibiato cum aceto, decocto herbae Belladonnae cum Asa foetida *b*), aceto et aequale portione aquae simplicis *c*), vel solummodo ex aqua frigida paratorum *d*),

*u*) Kortum Beitrag z. praktisch. Arzneywissenschaft, Göttingen 1795. S. 296.

*v*) Abhandlung vom Miferere, 1767.

*w*) WERLHOF Opera, pag. 794.

*x*) Medical Commentaries of Edinburgh, Vol. V. P. II.

*y*) Abhandl. für prakt. Aerzte, Bd. 13. S. 286.

*z*) Hufeland's Journal der prakt. Heilk. Bd. 10. St. 2. S. 22.

*a*) MICHEL Journal de Med. T. XXI. p. 250.

*b*) Abhandl. f. prakt. Aerzte, B. XIV. S. 312. Hufeland's Journal, B. 6. S. 492.

*c*) Hufeland's Journal, B. 10. St. 1. S. 133.

*d*) Hufeland's Journal, B. 17. St. 2. S. 87.



aut *cataplasmatum* et *fomentationum* cum calidarum, tum frigidarum, *administrationis* item *glaciei* e) et *nivis*, aut *balneorum calidorum*, *frigidorumve*, quibus felici cum successu auxilium ferre iis, qui ileo morbo laborant, nonnulli medici annisi sunt f), ut observationes testantur, de quibus in infra citatis libris retulerunt. Lubet hic tantum de medicamentis, quae mechanico modo agunt, pauca afferre. Et inter artis subsidia huius generis, quae in morbo ileo, quasi ut ultimum refugium, adhibentur, imprimis notandus est *Mercurius vivus* h), quem praeter alios felici cum effectu *Moscatti* adhibuit i). — Plerumque simul cum oleosis adhibetur; quod spectat ad quantitatem ab unciis sex usque ad libram unam et supra. Necesse tamen est, ut in porrigendo isto remedio aegrotus lateri dextro incumbat et magis resupinus, ne nimia vehementia ventriculum remedium infestet atque oesophagum ipsi resistentem facilius vincat. (FR. HOFFMANN. l. c. et PANZONI Besch. der Krankh. welche 1786 zu Piarno in Italien geherrscht haben. Lübben 1801.) Attamen non semper hocce metallum faustum effectum produxisse, plura docent exempla. Mercurium vivum e. gr. transcurrisse tubum intestinale, nec tamen morbum e medio sustulisse, refert

---

e) Herz's Briefe an Aerzte, Erste Sammlung.

f) Medical Transactions, Vol. III. Wytts Sammtliche zur praktischen Arzneykunst gehörige Schriften, Leipzig 1771. S. 501.

g) FRID. HOFFMANNI Medin. ration. systema, T. IV. P. II. p. 335. KITE in London Medical Journal. Vol. VIII. et STEVENSON in den Edinburger Versuchen, B. V. Th. 11.

h) Journ. de méd. T. 69. pag. 209.

i) cf. Harless neues Journal d. ausländ. med. Litt. Bd. 8. St. 1.



ROBERT WILLAN *k*). Observatum etiam est, hoc metallum aliquando vulnera intestinorum genuisse et paralytin eorum aliaque mala effecisse *l*). — Forsan etiam in aegroto, cuius morbi historiam §. I. descripsi, adducta erat tubi intestinalis paralytis et ita mortis ingressus acceleratus est.

Porro globi plumbei sclopetarii deglutiendi dati sunt eiusmodi aegrotis *m*). — Notissimae item sunt machinae istae hydraulicae ad aquam per anum iniiciendam inventae, quas MAZZONI et LILLA *n*) in Italia et JAMES BUREAU *o*) in Anglia multis laudibus extulerunt.

Aliam medendi methodum BARBETTE *p*) commendavit, utpote qui gastrotomiam in eo, de quo loquor, morbo cum fructu instituendam esse statuit. FR. HOFFMANNUS et FELIX PLATER hanc operationem quandoque proficuum fieri posse arbitrati sunt, HEVINUS autem et SCHACHERUS, professor quondam Lipsiensis, ipsi haud faverunt. Gastrotomiam in casu omnino desperando esse instituendam, et ego censeo; nam remedium dubium in casu ancipite melius est, quam nullum; at enim hanc operationem

*k*) Abhandl. f. prakt. Aerzte, Bd. 15. S. 19.

*l*) Kornbeck histor. morbor. a mercurio. Viennae 1776.

*m*) Richerand l. c. pag. 176.

*n*) cf. Palletta in Kühn's u. Weigels ital. med. u. chir. Bibl. Bd. 2. St. 2. S. 66: Videmar Machinae ad ileum curandum casu inventae descriptio et usus. Mediolani 1765.

*o*) Case of an Ileus, with observations on an hydraulic machine in obstructions of the bowels. In Mem. of the med. Soc. of London, Vol. 2. p. 227.

*p*) Apud Meyer, Richerand et Dict. d. sc. méd.



suscipere eo consilio non ausim, ut evolvantur implicationes intestinorum; namque vix, ac ne vix quidem cum spe felicitis eventus determinari potest, quando haec medendi ratio conveniat, cum neque de loco, quem implicatio occupat, neque de eius situ, forma, indole cet. certi fieri queamus. Malim ego instituere incisionem ad producendum anum artificialem, cuius ope certius vitam, etsi miseram, per longum adhuc tempus trahere potest aeger. Saltem hoc virorum doctorum observationes docent, et ipse recordor, relatum mihi esse ab amico, huius indolis aegrotum fuisse, qui hacce operatione et formato ano artificiali, mortem effugisset et per decem adhuc annos integros Vitenbergae, ni fallor, vixerit.

Ceterum iis, quorum interest, haec aliaque remedia mox felici, mox minus fausto cum successu adhibita, accuratius cognoscere, libri sequentes commendandi sunt.

PLOUQUET *Literatura medica digesta sive Repertorium medicinae practicae, Chirurgiae atque rei obstetr.* Tom. II. 1803. art. *Ileus*. pag. 423 — 425.

REUSS *Repertorium commendationum a societatibus literariis editarum.* Tom. XIV. *Scientia et ars med. et chirurg.* P. III. *Therapia generalis et specialis.* I — S. p. 16 — 17.

*Dict. des sciences médicales.* Tom. XXIII. art. *Ileus*. pag. 573 — 582.

I. R. MEYER *de strangulationibus intestinorum in cavo abdominis.* Argent. 1776. germanice in *Neue Sammlung der auserl. u. neuest. Abh. f. Wundärzte.* St. XVI. S. 199 — 218.



J. B. Palletta üb. die nützl. Anwendung der Mazzoni'schen Sprühe  
in verzweifelten Fällen der colica stercorea. In Kühn u. Wei-  
gels ital. med. chir. Bibl. 10. Bd. 2. St. 2. S. 66.

DAVID RAHN Dissert. de passionis iliaca pathologia. Ha-  
lae 1791.



---

## *I N D E X.*

---

### **Praefatio.**

- §. I. Morbi historia cum sectione cadaveris.
  - §. II. De causis mechanicis morbum ileum gignentibus.
  - §. III. Strangulatio intestinorum in universum.
  - §. IV. Strangulatio intestinorum per habenas praeternaturales;
  - §. V. per aperturas saccosque s. conceptacula praeternaturalia;
  - §. VI. per processum vermiformem aliasque appendices praeternaturales;
  - §. VII. per intestina ipsa invicem implicata et accreta;
  - §. VIII. per intestina circa ipsum axin convoluta et contorta.
  - §. IX. Therapeutica.
-



## EXPLICATIO TABULARUM.

### Fig. I.

Viscera abdominis, quo modo abdomine aperto primum in conspectum venire.

- a.a.* Flexurae iliaca pars, quae in statu normali externa esse solet, maxime dilatata et versus anteriorem corporis superficiem spectans. Conspiciuntur in hac parte venae varicosae et fibrae musculares longitudinales. Solummodo hoc intestinorum segmentum lividum retulit colorein.
- b.b.* Colon ascendens.
- c.* Particula Coli transversi pone omentum (*e*) descendit ibique in prospectum venit.
- d.d.* Pars huius tubi intestinalis segmenti iterum ascendens, ita ut a flexura iliaca extensa obtegatur.
- e.e.* Omentum maius, quod ad dextram in situ transversali conspicitur.
- f.f.* Intestina tenuia magis ad dextram corporis partem deturbata ibique in conspectum venientia.
- g.* Vesica urinaria.

### Fig. II.

- a.a.* Flexuram iliacam expansam ostendit, ita ut, in corporis dextro latere posita, *circumvolutio* accuratius cognosci possit.
- b.b.* Colon ascendens.
- c.c.* Colon descendens.
- d.d.* Pars flexurae iliaca, quae in statu naturali interna existit.
- e.e.* Mesocolon cui flexura iliaca adhaeret.
- f.* Intestinum rectum.
- g.* Vesica urinaria.
- h.h.h.* Locus, quo intestinum circa axin contortum, Mesocolon funis instar volutum conspicitur.

### Fig. III.

Explicatio partium ex abdominis cavo exemtarum.

- α.α.* Colon ascendens.
- β.β.* Pars descendens coli transversi.
- γ.γ.γ.* Pars iterum ascendens coli eiusdem.
- δ δ.* Colon descendens.
- ε.ε.ε.ε.* Flexura iliaca.
- ξ.* Intestinum rectum.
- θ.* Mesocolon.



Fig. 1.










Fig. II.











Fig. III.



ad nat. delin. v. Säckendorff.

ged. bei E. Ponicko in Leipzig.



